B. N. C.
FIRENZE
1054
19

CVRTA, VVLGO BVDA

POST DIFFICILLIMAM OBSIDIONEM

A CAROLO

LOTHARINGIÆ DVCE SER.^MO

SVPREMO CAESAREI EXERCITVS DVCTORE

EXPVGNATA.

CARMEN.

ILLVSTRISS.^MO ac REVER.^MO D.

FRANCISCO

COMITI ILCIO

ARCHIEPISCOPO PISARVM

CORSICAE, ET SARDINIAE PRIMATI,

ET IN EISDEM LEGATO NATO.

DICATVM

A LAVRENTIO ADRIANIO Ciue Lucenſi Belga,

Seminarij PISANI Rectore.

LVCÆ, Apud Hyacinthum Pacium. MDCLXXXVI.

DE SVPERIORVM LICENTIA.

1054 19

ILLVSTRISSIME,
AC
REV^ME. ANTISTES

QVAM mirificam, & penè incredibilem, iucunditatem attulerit Reipublicæ Chriſtianæ parta recens victoria à Leopoldo Cæsare Auguſtiſsimo, Buda] Pannoniæ Regia Urbe per fortiſsimos, & Clariſsimos Duces expugnata, ſingularum nationum, ſingularum Vrbium, ac populorum incensa ſtudia, variæq, ingentis lætitiæ ſignificationes declararunt. Excitatus præterea doctarum mentium ardor, Principum virorum, Ducumq; præſtantiſsimas laudes, quorum virtus excelluit in tam difficili obſidione, Pontificis Maximi vigilem ac beneficam pietatem, ſummumq; Dei Omnipotentis beneficium omni ſcriptorum genere celebrauit. Mihi quoq; in votis fuit aliquod conceptæ animo voluptatis indicium exhibere, ſed partim obſtitit non omnino commoda valetudo, partim deterruere tot auditæ, ac lectæ ſublimium ingeniorum lucubrationes; venuſtate, lepore, eruditione, grauitate nobiliſsimę,

Arbitrabar enim impudentis eſse moleſto garritu obſtrepere, poſt alienam dulciſsimi cantus ſuavitatem; Verùm cum animaduerterim in ea felicitate, quæ pertinet ad omnes, non tantum Optimates ſuum teſtari gaudium, ſed etiam plebeculæ licere inclusam pectore hilaritatem indicare, vitio mihi tribuendum non cenſui; ſi hoc qualicumq; carminis conatu publicam lætitiam proſequerer; Ausus autem id fui tibi ILLVSTRISS., ac REVERENDISS. ANTISTES, inſcribere, quia niſi rem, tenuiſsimam quidem, nec tua Amplitudine dignam ſaltem argumentum animo tuo gratum, acceptumq; fore exiſtimavi, ea potiſsimum de causa quòd tua in Auguſtiſsimum Leopoldum Cæsarem, quem præsens coluiſti tuis eximijs ornamentis, & ſingulari virtuti maximè faventem, dum unà cum Eminentiſsimo patruo Scipione Cardinali Ilcio apud eumdem Apoſtolicæ Sedis Legato Viennæ degeres, adeò propensa, & inflammata, voluntas eſt, ut eius felicitatem, & nobiliſsimæ victoriæ commemorationem, qua non Imperij tantùm ſed Reipublicæ Chriſtianæ amplificata dignitas, quamvis minùs eruditè, & eleganter allatam tuæ humanitati non improbandam, quin æquo animo accipiendam ſperarim; Optavi etiam pro Tuis erga me meritis, quibus in dies obſtringor, quando hæc ſe obtulit occasio, grati animi teſtimonium afferre, & eius obſervantiæ, qua colui hactenus & in perpetuum Amplitudinem tuam Illuſtriſsimam, ac Reverendiſsimam proſecuturus ſum. Facit ea benignitas, cuius laude maximè excellis, confidam nec fallendum me ſpe mea, & hoc munuſculum tibi non iniucundum futurum, quod aſsecutus, ad vetera erga me officia ingentem cumulum arbitrabor acceſsiſse. Vale.

Amplitudinis Tuæ ILLVSTRISS. ac REVERENDISS.

Lucæ XII. Kal. Novembris CIↃ IↃCLXXXVI.

Humill. Addictiſs. Devinctiſs. Seruus
Laurentius Adrianius.

CVRTA

CVRTA VVLGO BVDA EXPVGNATA.

QVID me acies canere inuictas? quid fortia bello
Pectora? non vna ſtratum quid cæde ſuperbum
Oſmanidem, & rabido queſtu ſua damna gementem
Musa iubes? dum ſublimi reſerata triumpho
Ingreditur Cæsar ſubiecta mænia Curtæ?
Heu languent animi perculſo in corpore vires;
Mens infracta malis, ac triſtibus obruta curis
Experta haud vllo ſe tollit in arduã niſu.
Annue tu cæptis, Erato, tu ſuffice robur
In numeros, dulcem non auerſata laborem,
Si parere lubet, ſi grandia iuſſa capeſſo.
Poſtquam altà pulſus tandem Thrax dirus ab Vrbe

Auſtriadum didicit Latias, victricia ſigna,
Formidare Aquilas, æquo ſe credere campo
Bis magna victus pugna, nec viribus audens
Imparibus, latuit gelidis in ſaltibus Hæmi,
Ex illo infandum cæpere odiſse furorem
Pannones, atq; animum nuper geſſiſſe rebellem
Pænituit, pacemq; vltrò, veniamq; precati
Iuſta in Biſtonium verterunt arma Tyrannum.
Ergò olim captæ à Scyticis latronibus arces,
Arte noua, quamuis vallo, licet vndique tutæ
Aggeribus murorum, atræq; voragine foſſæ,
CÆSAREVM ſubiere iugum, ferroq; ſubacta
Tot valida ad priſcas redierunt oppida leges;
Vna ſed obluctans victricibus obſtitit armis,
Hoſtiles retuditq; minas, laurumq; morata
Curta viris, muriſq; potens; Mauortius Heros,
Rex ipſe, atq; Atauûm Regum generoſa propago,
Carolus, hanc verſat læſo ſub pectore curam,
Quî decus ereptum repetat, quî Cæſaris addat
Imperio Auguſtam longo poſt tempore ſedem,
Munimenta loci, toties labor irritus, agri
Penè etiam irrigui præclaro ſanguine mentem
Incerto abripiunt æſtu, varijſq; fatigant
Conſilijs; donec placidâ ſub nocte quietem

Captanti, ſe Pannonidum generator aquarum
Obtulit, ac placidis hæc fatus vocibus iſter.
Magne, Heros, quem militiæ, rebuſq; gerendis
Non tantùm Auguſti ſolers prudentia, quantùm
Aeterni omnipotens præfecit Numen Olympi,
Ne dubita innixam ſcopuloſis collibus arcem
Ne ſolido Curtæ fundataq; mænia ſaxo
Obſidio premere, ac ſocijs inuadere turmis;
Nam licet æratis ſtent propugnacula muris
Plurimaq; æthereas conſurgat turris ad auras,
Centenuſq; agger nullo penetrabilis ictu
Prætenſus terrere queat, ſi maximus orbis
Rector opem neget infenſus, ſi deſerat, omnis
Se fruſtrà vis intendat, vaniſq; repugnet
Niſibus, in tenui ſubſidere puluere cernes,
Si qua obſtant, cadere & facili labefacta ruina;
Bis quater illa quidem Germanum reppulit hoſtem,
Eluſitq; piorum auſus, durumq; laborem
(Sic etenim viſum ſuperis,) nunc plena tulerunt
Fata diem, qua turpe iugum, qua dedecus ingens
Seruitij excutiat diri, Romanaq; ſacra,
Et caſtos recolat fortunatiſsima ritus;
Hæc, inuicte, manet tanti te gloria facti;
Te domitæ accipient Arces, tibi concidet vni

Luctificis domus heù quondam pulcherrima Regum
Fracta malis. qualem immiſſo dabis agmine cladem,
Quos tunc barbarico decurrere ſanguine riuos
Aſpicies, vlli miles dum parcere neſcit?
Iſmaride, at tu fœderibus veſane maneres:
Quare agè, concilio in magno, Sanctoq; Senatu,
Rem ſuade, tum nequidquàm liuore fremente,
Aggredere excelsum facinus, diſcrimina Martis
Nec metue, at magnis certam ſpe præripe palmam
Auſpicijs; ego ſum lato quem gurgite cernis
Alluere ingentes populos, atq; inclita Regna
Iſter, cunctorum Europæ clariſsimus amnis.
Dixit, & in tenues paulatim euanuit auras.
Ille autem viso, & monitis cœleſtibus actus
Curta vbi in Auguſtæ tectis Regalibus Aulæ
Decreta eſt belli ſedes, vt in æqua vocauit
Vota Deos, indictum aris, & ſoluit honorem,
Protinus hoſtilem confidentiſsimus oram
Infenſas petijtq; arces; it Noricus Heros
Ponè comes, talis roſeâ ſplendetq; iuuentâ,
Qualis purpureo ſe tollens lucifer aſtro
Profert os nitidum Cœlo, noctemq; reſoluit;
Hunc matres, hunc turba omnis proſpectat euntem
Impubes mirata genas, mirata pericli

Impauidum pectus, belli tot adire labores,
Auguſti Soceri generum, potuiſſe gementem
Reginam, ac dulces thalamos, tot linquere Regni
Delicias; igitur lacrymis, atq; anxia votis
Proſequitur, dextram fortem, Martemq; precata.
Ibat & intextâ redimitus tempora quercu,
Cui ſuper impoſitum muralis fulget in auro
Gemmato, ornamentum ingens, inſigne corona,
Erneſtus, decus Arctoæ indelebile gentis;
Quem Germanæ acies, & coniurata ſequuntur
Agmina manſurâ vitam pro laude paciſci
Defenſæ libertatis contrà impia Thracum
Conſilia, & ferro ſceleratam euertere gentem.
Hinc autem ardentes rapit in certamina turmas
Auratâ inſignis galeâ; criſtâqs comanti
Aeneas, clarum Troiana ab origine nomen,
Caſtra inter, duri Martiſq; eductus in armis,
Felſinei laus alta ſoli; tremit excita tellus
Cornipedum pulſu, crebriſq; hinnitibus æther,
Atq; cauæ reſonant valles, ſed pectora languent
Biſtonidûm, gelidaq; coit formidine ſanguis.
Ergo vbi fatali videre addicta ruinæ
Mœnia, & obiectis fidentem turribus hoſtem,
Extemplo, ceu præcipites à cardine Cœli
Ad-

Aduerſo exſurgunt venti, totamq; procella
Concutiunt ſyluam, duro nec ſtipite robur
Annoſum, aut ilex, procera aut ſufficit ornus,
Fit latè ſtrages, facieſq; antiqua recedit,
Haud aliter ſortitæ acies ſua munia, quæq;
Hoſtili incubuere ſolo; micat ære coruſco
Torua phalanx, ſtricto & pugnam mucrone laceſsit,
Dumq; alij curuo producunt limite vallum,
Illa minas paſſim ingeminans tela ignea torquet
Cum ſtrepitu; gradiens campis equitatus apertis
Inſultat, Thracemq; arcet, ſi erumpere portis
Audeat. aggeſta & nuper reſcindere caſtra.
Hinc aditu occulto machinator ſubruit altæ
Fundamenta Arcis, nitrati & pulueris ignem
Effoſſa includit latebra, nigriſq; cauernis,
Qui ſimul appoſito concepit ſomite flammam,
Murorum in Cœlum ſcopulos, auulſaq; tollit
Saxa, ſuperſtanteſq; viros, perq; ampla ruinam
Facta via eſt, qua connitens iuncto agmine miles
Irruat, & cæſo, victor ſeſe inferat, hoſte;
Intra vrbem immani iactatur pondere ferrum
Igniuomum, tectis peſtem, ſtragemq; daturum,
Ciuibus & miſeris lethum, funeſtius vnquam
Cudit in Aetnæo quo nullum Mulciber antro.

Par-

Parte alia horrifico quaſſantur fulmine muri,
Iamq; labant, rupta incuſſis compage fatiſcunt
Ictibus, ac vaſto demum panduntur hiatu.
Tunc verò Reges addunt hortatibus ambo
Sponte ſua incenſis animos; En meta laborum
En ſocij, merces, irrumpite, cædite ferro
Obſtantes cuneos, pro nobis æthere ab alto
Stant ſuperi; laurum, virtuti ac debita veſtræ
Serta ferunt, hoſti cladem, exitiumq; minantur.
Nec plura effati rapiunt apto ordine ſecum
Compoſitas acies, fitq; impetus; horridus inſtat
Emiſſis longè hic telis, & fulminat ære
Horriſono, ſpargens liuentis pondera plumbi,
Cominùs hic autem intorta transuerberat haſto
Ora repugnantum, hi telum exitiabile dextra
Conijciunt, clauſos æratis orbibus ignes,
Res geritur tandem gladijs, hoſtiſq; ruina
Truditur; oppoſito alterius tamen obice muri,
Ac foſsæ, quamuis vacua tellure potitus
A circumſeſsa, Germane, excluderis vrbe.
Quid facias? iuuenum primi in certamine ſæuo
Totq; Duces, fuſo poſuerunt ſanguine vitam,
Stat propugnantum virtus interrita, flecti
Neſcia, nam ſtimulis atrox furialibus vrget

Ale-

Alecto, quam Tænarijs emiſit ab umbris
Indignans è poſſeſſæ diù finibus oræ
Se deturbari Pluto; Ducis illa ſuperbum
Os, animumq; gerens rabie ferà pectora Thracum
Incendens vitæ dulcem conuellit amorem,
Pugnandiq; nouas artes, noua tela miniſtrat.
Hæc videt ætherea Cæli ſtellantis ab Aula
Primus qui Regum Stephanus diuina ſecutus
Præcepta, exemplo populos ad ſacra vocauit
Chriſtiadûm, Curtæ poſuitq; ingentia templa
Aequæuo Patris nato, caſtæq; Parenti;
Totq; neces, tot fata virûm miſeratus acerba,
Tali adijt ſupplex magnum ſermone Tonantem.
O qui res hominum æterna ratione gubernas,
Dilectæ ah quondam patriæ miſerere ruentis,
Nec ſinito, licet admiſſæ non ritè piarit,
Quæcumq; hæc fuerit, veteris contagia culpæ
Tàm longas tàm crudeles perſoluere pœnas.
Sub Scytico maiore ſui iam parte peregit
Luſtra ferè terdena iugo, nunc Regia Curta,
Dum Cæſar Iuſtis illam pius aſſerit armis
In pulcram libertatem, miſeranda tenetur
Iſmaridum vi; quin ſanctis conatibus obſtat
Eumenidum rabies, totuſq; occurrit Auernus.

De-

Affer opem', perde infeſtos, nec triſtibus Orci
Monſtris, ſit fas Pannonicas errare per vrbes,
Non ferre auxilium, ſtimuliſq; accendere martem,
Vt tua Relligio ſe priſco attollat honore.
Hæc ille, at ſuperum genitor, parce, inquit, inani
Diue, metu; ſat pœnarum ob veſana luerunt
Conſilia, Auſtriadum nomen, ſceptrumq; repulſum
Ac temerè accitum ſcelerata in fœdera Thracem,
Pæones: errori veniam indulgemus, & hoſtem
Noſtris infenſum ſacris dominarier vltrà
Regali in ſede, atq. altâ prohibemus in Arce.
Quare, age, nunc Stephane è celſo delabere cœlo
Ad Sanctas acies, te, protinus effera, viſo
Alecto Stygium præceps deſcendet in orcum,
Iſmariuſq furor ſidet: tum Pannonis omnis,
Quæ Scytico dudum ſeruit ſubiecta tyranno,
Ora cadet, retrò nec res infracta referri
Deſinet Oſmanidum, donec gens improba cedat
Europæ Regnis, Aſieq; exuta rapinas,
Sic lubet, in Scyticos immigret perdita ſaltus.
Extemplo Diuus facili ſecat æthera lapſu,
Ac ſe ſpectandum medijs oſtentat in auris,
Structa Phalanx, quà diſiecti Germanica muri
Congeriem, valliq; moras intrare parabat;

Ad-

Addiderat capiti iam nota inſignia Regni,
Fulmineum dextrà gladium, læuaq; gerebat
Ancile, ardentem iactans in nubila lucem,
Monſtrabatq; viam gradiens, vrbemq; petebat.
Primi illum Auguſti Reges videre, manuq;
Sublatâ oſtendere aliјs, ac talia fati.
En ſequimur, quò Sancte, vocas, te principe pugnam
Te duce, conſerimus, dirumq; inuadimus agmen,
At vos, ô lecti, mecum contendite, mecum
Optata egregiæ properate ad munera palmæ.
Vix ea dicta, ruunt, valliq; abrupta manipli
Denſati ſcandunt, vrgent, feriuntq;, necantq;
Ac tandem inſeſſis detruſo è mœnibus hoſte,
Quales aerio fluuij de monte voluti,
Seu præceps Rhodanus, bifido ſeu gurgite Rhenus
Hybernis pluuiјs aucti, ſciſſo aggere, latè
Arua premunt, ſyluaſq; trahunt, atq; obuia tecta
Fluctibus, irrumpunt alacres per aperta viarum,
Tergaq; cadentes fugientum cædis aceruos
Dant paſſum ingentes; nec iam decernere contrà
Audent Oſmanidæ, nec ſufficit amplius vllas
Alecto vires, cum luctifico vlulatu
Viſa Acherontæi ſe condere faucibus Orci:
Sic iterum ſacris eſt reddita curta Latinis

Fœdo

Fœdo exempta iugo, imperium ſic mite ſubiuit
Cæſaris; antiquo mox inſtaurata nitore.
Inter Pannonias altè caput efferet vrbes.
Intereà ſeros accenderat Heſperus ignes,
Et nox humenti tellurem inuoluerat vmbra,
Iamq; Duces, longo feſsi mileſq; labore
Dulcia iucundæ captabant dona quietis,
Inſolita è celſo cum lux effulſit Olympo,
Sydereus iuuenis paribuſq; innitier alis
Conſpectus; dum terra ſilet, ſilet arduus æther
Tales ille ſacro rupit de pectore voces.
Lætare ò Supero nimiùm dilecta Tonanti
Fida acies, vos vnà animis gaudete ſerenis
Inuicti Heroes, quos ad ſublimia cœpta
Iunxit Amor, laudis veræq; incenſa cupido.
Strata iacet per vos acri ſæuiſsima bello
Barbaries, Domino per vos erepta ſuperbo
Romanas redit ad leges vrbs inclyta; Cæſar
Hæc pius ampla refert à ſummo Numine dona,
Plura relaturus; Tua namq; ò Carole virtus
Maximiane tua, Osmanidem trans littora pellet
Caſpia, vt Odryſijs vltrà non imperet oris,
Non Graijs, non tot Regnis, quæ ſubdidit illi
Vltrix ira Deum, veſtræ ac diſcordia gentis.

Quin

Quin etiam labi captiuâ deſinet vndâ.
Iordanis, diù ſeruiles & paſſa cathenas
Infelix Solyme, poſito ſquallore, iugoq;
Excuſſo, Sacra Chriſtiadas ad templa vocabit;
Grata ſuas palmas tunc vobis mittet Idume.
Hæc meritos optata manent noua gaudia; curſu
Pergite felici, LEOPOLDO vincite, Regi
Vincite Cælicolûm; tacito dum defluet amne
Iſter, & auratam iactabunt ſydera lucem,
Sublimi in terris incedet veſtra triumpho
Gloria, perſoluent æternaq; præmia Diui;
Sic ait, in patrium ſeq; alis extulit axem.

FINIS.

1054 19
Z
99 958043